



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Septémne annis, an tribus fames Daudi proposita sit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

Etum etiam accessit, quod numeratio illa non sit facta secundum legem, in qua dicitur: *Quando tuleris summam filiorum Israël, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti.* In hac delicta incidere regem permisit Deus, populo propter alia delicta iratus. Ait enim sacra historia: *Et addidit furor Domini irasci contra Israël, commouitq; David in eis dicentem: Vade, numera Israël & Iudam.* Quo modo autem commouerit, id est, commoueri permiserit Dominus, ut David vellet populum numerari, alibi clariùs his verbis indicatur: *Consur-* Exod. 30. 12.  
*rexit autem satan contra Israël, & concitauit David, ut numeraret Israël.* Ita, peccante & populo, & rege, populus cum rege, & rex in populo suo est punitus. *David populum numerando peccauit,* 2. Reg. 24. 16.  
 ait S. Gregorius, *& populus pœnam suscepit, quia secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum.* Incidunt in peccata etiam qui Deum alioquit timent, sed citò in viam reuertuntur, conscientia stimulante. *Itaq; percussit cor Dauid eum, postquam numeratus est populus: & dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto: sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.* 1. Paralip. 21. 1.  
 Agnouit culpam, doluit, accusauit se, pœnitentiam egit, veniam precatus est. Et veniam delicti dedit illi Deus, sed pœnam non remisit. *Surrexit itaq; David manè, & sermo Domini factus est ad Gad Prophetam, & Videntem Dauid, dicens: Vade & loquere ad David: Hac dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige unū quod volueris ex his, ut faciam tibi. Cumq; venisset Gad ad David, nuntiauit ei dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei, qui me misit sermonem. Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis: sed melius est, ut incidam in manus Domini (multa enim misericordia eius sunt) quàm in manus hominum. Im-* 2. Reg. 24. 10.  
*misitq; Dominus pestilentiam in Israël, de manè vsq; ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo, à Dan vsq; Bersabee, septuaginta millia virorum.*

Eadem historia recensetur, in libro primo Paralipomenon, sed in pœna apparet non exigua diuersitas. Suprà enim dixerat Gad: *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: hinc autem*

1. Paralip. 21. idem Propheta narratur, dixisse: *Elige, quod volueris: aut tribus annis famem.* Si trium annorum fames erat eligenda, ergo non septem: si septem annorum, ergo non trium tantum? Sed facile soluitur ex ipsa historia hic nodus. Quia in libro cit. Paralipomenon numerantur tantum tres anni famis adhuc restantes & futuri, in altero autem regum libro nominantur septem anni, quia ibi illis simul comprehenduntur quatuor anni famis, quos iam tunc patiebantur Israelitæ atque exantlauerant, propter injustam oppressionem Gabaonitarum. Quorum quatuor annorum experientia & calamitate doctus David, maluit eligere trium dierum pestilentiam, quàm adhuc per tres annos subditos videre fame emaciatos, & audire, passim confectos. Tantum in fame, præsertim diuturna, malorum contineri iudicavit. Quamquam & aliæ suppetunt causæ, ob quas voluerit tertium genus duobus reliquis flagellis antepone. Quæ quia ad severitatem diuinorum iudiciorum, æquitatemque intelligendam multum habent momenti, non sunt à nobis hoc loco, dissimulandæ.

## III.

Primò igitur, qua de causâ, justus & potens Iudex electionem Davidi obtulit dicens: *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi?* Vel æquales hæ fuerunt inter se se pœnæ, vel inæquales. Si inæquales, cur diuina illa & exactissima æquitas, eidem delicto posuit pœnas inæquales, ut unum idemque peccatum magis minusve plecteret? Si æquales, quid opus fuit electione? perinde enim erat, fame, an peste, an ense perirent.

2. Reg. 24. 15. *septuaginta millia virorum.* Ad quam quæstionem respondetur, DEVM justum futurum fuisse, siue tres illæ pœnæ æquales fuerint, siue inæquales. Siquidem certum est, nullam tunc pœnam culpa ipsa futuram minorem, etsi vna pœna alterâ maior fuisset. Quia etsi reus certæ pœnæ exoluendæ obnoxius est, non tamen ita eidem inferendæ obstrictus est iudex, ut gratiam facere reo, & aliquid de pœna, vel etiam illam omninò remittere non possit. Quæ potestas cum sit etiam penes Principes, & quosdâ inferiores magistratus, cur non sit etiam penes summum Iudicem, qui utiq; Davidi tam manè surgenti, & delictum adeò ardentè deprecanti potuit eam gratiam exhibere, ut eligeret pœnam mitiorem. Quòd si verò omnes tres pœnæ fuerunt æquales, itidem justissimè illi